An. et vol. CXI **1 Martii 2019** **N. 3**

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico – Città del Vaticano – *Administratio*: Libreria Editrice Vaticana

ACTA FRANCISCI PP.

LITTERAE DECRETALES

I

Quibus Faustino Miguez Sanctorum honores decernuntur.

FRANCISCUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

« Qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno caelorum » (*Mt* 5, 19).

Beatus Faustinus Miguez omnem per vitam haec Domini verba servavit, innumeros Hispaniae iuvenes docens, Divinum Magistrum ut cognoscerent. In oppido Xamiras Auriensis provinciae, in Hispania, die XXIV mensis Martii anno MDCCCXXXI natus est, quartus filius ex familia radicitus in christiana traditione fundata. Humane religioseque bene est institutus atque inde a puero indolem gravem, cogitantem, perseverantem, naturae amantem ostendit. Studiorum curricula apud sanctuarium Dominae Nostrae Miraculorum Auriae absolvit ac postremis adolescentiae annis se ad sacerdotium vocari percepit. Anno MDCCCL novitiatum ingressus est Ordinis Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum, sancti Ferdinandi Matritensis atque, studiorum curriculis completis, die XIX mensis Martii anno MDCCCLVI presbyterali ordine auctus est. Variis illius Ordinis destinatus est collegiis ut doctor, praesertim de naturae scientiis. Etiam in Magisterio docuit, ut novi magistri instituerentur. Inibi salutarem utilitatem complurium plantarum percepit necnon docendi pondus. Haec duo opera decretorium in modum

missionem eius scientificam ac paedagogicam affecerunt. Per quinquaginta ministerii annos pueris et iuvenibus educandis magno cum animi sensu, observantia et affectione in omnes sese dicavit. Apud scholam ipse Dominum conveniebat, cui inserviebat quemque in alumnis amabat. Varia volumina scripsit ut institutio iuvaretur ut aditu faciliora fierent scientiarum elementa et, ut sacerdos, in Reconciliationis sacramento praecipuum apostolatus locum repperit, cum multarum animarum spiritalis esset moderator. Cum in scientifico ambitu fama excelleret, a municipio Sanlucar traditum est ei munus aquarum salubritatem inquirendi et complures ad eum concurrebant ut plantarum proprietate adhibita curarentur. Anno MDCCCLXXXV, ut educatio et institutio puellarum iuvarentur, quae temporibus illis excludebantur, condidit Institutum quod suam paedagogicam rationem sequitur, integram institutionem praebet quae corpus, intellectum et cor formandum complectitur; totam nempe mulieris institutionem in societate illa quae in ipsius agnoscendo bono ac momento adhuc haerebat. Perseveranter ac studiose Ecclesiae et societati inservivit. Decessor Noster sanctus Ioannes Paulus II in eiusdem homilia beatificationis dixit: "In schola et in via, in confessionario, in laboratorio, P. Faustinus Christum suscipientem, ignoscentem et animos erigentem semper demonstravit. Praeclarum eius exemplum, oratione ac studio effectum, eius filiarum et tot institutorum testificationibus producitur, qui animose elateque operantur ut Iesu imago in intellectu et corde iuvenum imprimatur". Nonaginta quattuor annos natus in urbe Xetafensi die VIII mensis Martii anno MCMXXV obiit.

Decessor Noster sanctus Ioannes Paulus II anno MCMXCVIII eum beatum declaravit. Canonizationis gratia, Causae Postulatio iudicio Congregationis de Causis Sanctorum putatam miram alicuius mulieris sanationem demandavit, quae in Chilia anno MMIII evenit. Apud ecclesiasticam Curiam S. Iacobi in Chile a die XVII mensis Iulii anno MMVIII usque ad diem XVII mensis Aprilis anno MMIX Inquisitio dioecesana de hac re constituta est, cuius iuridica validitas agnita est a Congregatione de Causis Sanctorum. Medici Consultores eiusdem Dicasterii, in sessione habita die X mensis Decembris anno MMXV, iudicaverunt hanc sanationem fuisse repentinam, completam et stabilem, inexplicabilem sub lumine hodiernarum cognitionum medicarum. Die XXIX mensis Septembris anno MMXVI Consultores Theologi in congressione coadunati favens suffragium tulerunt. Die VI mensis Decembris anno MMXVI in Sessione ordinaria Patres Cardinales et Episcopi, verum miraculum hanc

sanationem iudicarunt. Nos Ipsi, die XXI mensis Decembris eiusdem anni facultatem fecimus ut Congregatio de Causis Sanctorum congruum Decretum ederet. In Consistorio die XX mensis Aprilis anno MMXVII statuimus ut canonizationis ritus Romae in foro Petriano die XV mensis Octobris eiusdem anni celebraretur.

Hodie igitur in foro Petriano inter sollemnia hanc pronuntiavimus formulam:

Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, Beatos Andream de Soveral, Ambrosium Franciscum Ferro, Matthaeum Moreira et viginti septem Socios; Christophorum, Antonium et Ioannem; Faustinum Míguez et Angelum ab Acrio Sanctos esse decernimus et definimus, ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes eos in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quae autem his Litteris decrevimus, nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die quinto decimo mensis Octobris, anno Domini bis millesimo septimo decimo, Pontificatus Nostri quinto.

EGO FRANCISCUS

Catholicae Ecclesiae Episcopus

Franciscus Piva, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 400.957

II

Quibus beatis martyribus Andreae de Soveral, Ambrosio Francisco Ferro, Matthaeo Moreira et viginti septem Sociis Sanctorum honores decernuntur.

FRANCISCUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

«Vobis hoc donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini» (*Phil* 1, 29).

Natalensis Ecclesia, sita in regione Rivi Magni Septentrionalis, in statu Septentrionali-Orientali Brasiliae, anno MDXCVII circiter ortum suum habuit per praedicationem missionariorum qui e Lusitaniae Regno venerunt. Sicut primaevae christianae communitates, in primordiis corroborata est cruenti testificatione suorum protomartyrum. Sacerdotes et laici, inter quos universae familiae cum infantibus, mortem subierunt ut catholicae fidei et Romano Pontifici fidelitatem servarent, propter odium contra christianos interfecti ab aliis christianis, quos doctrinales interpretationes diviserant. Namque novi harum regionum colonizatores, Calvinianam religionem sequentes, postquam dominationem suam militari et politico modo confirmaverunt, catholico cultui limitationes imposuerunt, acerbam ingerendo persecutionem.

Martyrium horum fidei heroum evenit in duobus diversis facinoribus. Primum quidem actum est dominica die XVI mensis Iulii anno MDCXLV in pago vulgo dicto Cunhaú, prope urbem Natalensem, dum in sacello dicato Beatae Mariae Virgini a Candelis sancta Missa celebrabatur. Vix post consecrationem, in sacrum locum turma armatorum militum Neerlandiensium et indigenarum irruit, portas eius obstruit atque ferociter adstantes fideles aggressa est. Parochus Andreas de Soveral, qui Sacrificium Eucharisticum conficiebat, valuit una cum sociis orationes pro agonizantibus intonare. Omnes gladio trucidati sunt. Exinde occisores cadavera depraedati sunt vestibus et rebus eaque laceraverunt.

Alterum facinus die III mensis Octobris eiusdem anni evenit. Terrore repleti de assultu facto in pago Cunhaú, Natalenses catholici conabantur salvos se facere in repentinis refugiis, sed frustra. Apprehensi sunt et con-

ducti Uruassum, ubi eos exspectabant milites Neerlandienses et circiter ducenti indigenae, quorum dux modo Calvinianam religionem amplexus est et ad catholicos vitiosam offensionem atque fastidium habuit. Christifideles eorumque parochus horribili saevitia excruciati sunt ac post inhumanas mutilationes mori deserti.

E magno numero fidelium in odium fidei catholicae occisorum his duobus in facinoribus tantummodo XXX certe recognosci poterant. Qui sunt:

Duo martyres pagi Cunhaú:

1. Pater Andreas de Soveral, presbyter dioecesanus et parochus;
2. Dominicus Carvalho, laicus.

Duodetriginta martyres Uruassenses:

3. Ambrosius Franciscus Ferro, presbyter dioecesanus et parochus;
4. Matthaeus Moreira, laicus, qui dum ei e tergo cor evelleretur, eodem ictu temporis exclamavit: «Laudetur Sanctissimum Sacramentum!»;
5. Antonius Vilela iunior;
6. Iosephus do Porto;
7. Franciscus de Bastos;
8. Didacus Pereira;
9. Ioannes Lostão Navarro;
10. Antonius Vilela Cid;
11. Stephanus Machado de Miranda;
12. Vincentius de Souza Pereira;
13. Franciscus Mendes Pereira;
14. Ioannes da Silveira;
15. Simon Correira;
16. Antonius Baracho;

17 – 24. Ioannes Martins et VII Socii;

25 – 26. Emmanuel Rodrigues Moura eiusque uxor;

27. Filia Antonii Vilela iunioris;
28. Filia Francisci Dias iunioris;

29 – 30. Duae filiae Stephani Machado de Miranda.

Fama eorum martyrii, sine intermissione usque ad nostram aetatem tradita, in lucem profert imaginem totius ecclesialis communitatis in itinere, imperterritae coram periculo, firmae fide, corroboratae oratione ac

deditae constanti apostolicae actuositati. Incohata quidem anno MCMLXXXIX beatificationis causa, Decessor Noster sanctus Ioannes Paulus II die XXI mensis Decembris anno MCMXCVIII facultatem fecit Congregationi de Causis Sanctorum ut Decretum super XXX Servorum Dei martyrio ederet et proinde obveniente Magno Iubilaeo die V mensis Martii anno MM Ipsemet eorum beatificationem sollemniter celebravit.

Plures devotionis et cultus manifestationes, ad quas numeratur recens beati Matthaei Moreira proclamatio uti praecipui Patroni ministrorum Eucharisticae Communionis in Brasilia, necnon insignis fama extraordinariorum signorum mirarumque sanationum eorundem Beatorum intercessioni adscriptorum induxerunt Conferentiam Episcopalem Brasiliae ut postularet eorum canonizationem explendam, dispensatione habita a singulari miraculi perquisitione. Ideo, accepto hoc voto, facultatem dedimus ut peculiaris Positio pararetur super canonizatione, quae subiecta est Patribus Cardinalibus et Episcopis, in Sessione Ordinaria die XIV mensis Martii anno MMXVII congregatis, qui tulerunt favens iudicium, a Nobis approbatum et publici iuris die XXVIII eiusdem mensis factum. Denique in Concistorio die XX mensis Aprilis anno MMXVII statuimus horum Beatorum canonizationem die XV mensis Octobris eodem anno celebrandam.

Hodie igitur in foro ante Basilicam Papalem Sancti Petri inter sacra hanc pronuntiavimus formulam: Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, beatos Andream de Soveral, Ambrosium Franciscum Ferro, Matthaeum Moreira et viginti septem Socios; Christophorum, Antonium et Ioannem; Faustinum Míguez et Angelum ab Acrio Sanctos esse decernimus et definimus, ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes eos in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Humana vero neglecta iudicia, temporalia bona vitamque ipsam despicientes ac inimicis ignoscentes, Christum tantum contemplantes, hi Sancti laetantes vitam pro Eo obtulerunt: sic felicitatem participant quam auferre eis non poterit mundus.

Quae verum his Litteris decrevimus, nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis rebus quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die quinto decimo mensis Octobris, anno Domini bismillesimo septimo decimo, Pontificatus Nostri quinto.

EGO FRANCISCUS
Catholicae Ecclesiae Episcopus

Franciscus Piva, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 384.652

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

SANCTI EPHRAIMI KHADKIENSIS

Exarchia Apostolica Sancti Ephraimi Khadkiensis in Eparchiam eodem titulo extollitur.

FRANCISCUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

ad perpetuam rei memoriam

Scientiae Crucis diurna luce collustrati expellamus nocturnas mentis tenebras, ut mens ministret Domino in renovatione puritatis nostrae et huius coruscati diei, qui non incipit a motu et cursu solis, signo satagamus imprimere in nostra persona per assiduum in Christum studium (cfr s. Ephraem, *Sermo* 3, 2). Cuius spiritualis pulchritudinis heredes constitutos, potissimum nos oportet, dum universi eiusdem gregis utilitati et profectui consulimus, salutiferae gratiae omnimodis indulgere, omnia in singulis Ecclesiis disponentes, per quae summum animarum bonum ac gratus spiritualis fidelium fructus summopere praestentur, mentem Nostram convertentes ad dilectos christifideles Indiae meridionalis Ecclesiae syrae-malankarensis, quorum summo studio provida inspicimus incrementa. Proinde, Archiepiscopi Maioris Trivandrensis Syrorum-Malankarensium, Venerabilis Fratris Nostri Basilii Cleemis Thottunkal, Synodique Episcoporum syrorum-malankarensium favorabilibus praehabitis votis auditoque Venerabilis Fratris Nostri Praefecti Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus consilio, Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, eandem Exarchiam Sancti Ephraimi Khadkiensem pro fidelibus ritus syri-malankarensis in India inferiore degentibus in Eparchiam eodem titulo nuncupandam extollimus, nihil immutatis ecclesiae cathedralis sede atque loco residentiae Episcopi et conclaviis Curiae, cunctis consentaneis impositis iuribus privilegiisque concessis secundum normas Codicis Canonum Ecclesiarum Orientalium.

Hanc Eparchiam Archiepiscopo Maiori Trivandrensi Syrorum-Malankarensium et Synodo Episcoporum syrorum-malankarensium subiectam statuimus, necnon eius Episcopum membrum Conferentiae Episcoporum Indiae, eiusdem Patronum apud Deum sanctum Ephraem, diaconum, renuntiantes. Omnes sacerdotes iam in Exarchia ministerium exercentes ipso facto novae constitutae Eparchiae incardinentur atque item Seminarii alumni e paroeciis eiusdem territorii provenientes novae circumscriptioni adscribantur. Cetera vero secundum normas dicti Codicis temperentur.

Hanc denique Constitutionem Nostram iugiter ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die vicesimo tertio mensis Novembris, anno Domini bismillesimo duodevicesimo, Pontificatus Nostri sexto.

Petrus card. Parolin
Secretarius Status

Leonardus card. Sandri
Praefectus Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus

Franciscus Piva, *Proton. Apost.*
Villelmus Millea, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 476.285

II

SANCTI NICOLAI DE RUSKI KRSTUR

Exarchia Apostolica Serbiae in Eparchiam sub titulo Sancti Nicolai de Ruski Krstur extollitur.

FRANCISCUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Christi Crucis praecedente exemplo, videmus confitemurque magis debere imitando Pastori haerere pastores, qui omnes fecit suas oves, pro quibus est omnibus passus, quia et ipse, ut pro omnibus pateretur, ovis est factus (cfr s. Augustinus, *Tract. in Ioannem*, 123, 5). Cuius misericordiae virtutis interveniente suffragio, dum universi gregis utilitati et profectui consulimus, omnia in singulis Ecclesiis disponere contendimus, per quae animarum salus ac spiritualis fidelium fructus praestentur. Mentem ergo Nostram convertimus ad dilectos christifideles catholicos ritus byzantini in Serbia commorantes et, in eorum bonum et incrementum providenter incumbere volentes, diligenti studio Secretariae Status perpenso atque officiali petitione Venerabilis Fratris Georgii Džudžar considerata, Conferentiae Episcoporum Internationalis Sanctorum Cyrilli et Methodii favorabili habita sententia auditoque Venerabilis Fratris Nostri Leonardi S.R.E. Cardinalis Sandri, Praefecti Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus, consilio, Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, Exarchiam Apostolicam Serbiae in Eparchiam SANCTI NICOLAI DE RUSKI KRSTUR nuncupandam extollimus, nihil immutatis ecclesiae cathedralis sede atque loco residentiae Episcopi et conclaviis Curiae, cunctis consentaneis impositis iuribus privilegiisque concessis secundum normas Codicis Canonum Ecclasiarum Orientalium.

Hanc Eparchiam Apostolicae Sedi immediate subiectam statuimus, eiusdem Patronum apud Deum Sanctum Nicolaum episcopum renuntiantes, necnon eius Episcopum membrum Conferentiae Episcoporum Internationalis, de qua supra. Omnes sacerdotes iam in Exarchiae territorio ministerium exercentes ipso facto novae constitutae Eparchiae incardinentur atque

item Seminarii alumni e paroeciis eiusdem territorii provenientes novae circumscriptioni adscribantur. Cetera vero secundum normas dicti Codicis temperentur.

Misericordiam suam pandat Dominus super christifideles huius Eparchiae eosque in omnibus custodiat periculis, ut, Beata Maria Virgine Dei Matre intercedente, via salutis eis pateat expedita in Ecclesia Christi, qui est germen iustitiae, testis populis, dux ac praeceptor gentibus (cfr *Is* 55, 4), et vigilantia, quam Pater mandavit, utrique parti hominis praescriptam, corpori, ut a pusillanimitate vel tristitia, et animae, ut a torpore et timiditate caveret populus (cfr s. Ephraem Syrus, *Commentarius in Diatessaron*, 18, 17).

Hanc denique Constitutionem Nostram iugiter ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die sexto mensis Decembris, in commemoratione s. Nicolai episcopi, anno Domini bismillesimo duodevicesimo, Pontificatus Nostri sexto.

Petrus card. Parolin
Secretarius Status

Leonardus card. Sandri
Praefectus Congregationis
pro Ecclesiis Orientalibus

Franciscus Piva, *Proton. Apost.*
Villelmus Millea, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 433.240

III

MBEYAËNSIS

Nova in Tanzania erigitur Provincia Ecclesiastica, cuius sedes erit Ecclesia Mbeyaënsis, quae, hanc ob rem, ad Metropolitanae Ecclesiae gradum et dignitatem evehitur et suffraganeae eius erunt Cathedrales Ecclesiae Iringaënsis et Sumbavangensis.

FRANCISCUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quantum est situm in Nobis, ad totius dominici gregis tutelam destinatis, continenter curam adhibemus, ut salutifera Iesu Christi beneficia quam amplissimam multitudinem attingant. Quapropter Nos aptare festinamus ecclesiastica instituta ut proposita haec commodius expediantur. Ideo, re mature perpensa, de consilio Congregationis pro Gentium Evangelizatione auditisque quorum interest favorabilibus votis, Apostolica Nostra potestate suffulti, haec quae sequuntur decernimus et statuimus. Provinciam ecclesiasticam MBEYAËNSEM condimus atque sedem episcopalem Mbeyaënsem ad dignitatem Metropolitanae Ecclesiae attollimus, congruis iuribus privilegiisque additis, quibus ceterae Metropolitanae sedes ad iuris normas fruuntur. Haec nova Provincia Ecclesiastica Mbeyaënsis complectetur Metropolitanam Sedem eiusdem nominis et dioeceses suffraganeas Iringaënsem, hactenus ad Provinciam Ecclesiasticam Songeanam pertinentem, et Sumbavangensem, quam proinde ex metropolitico Archiepiscopi Taboraënsis iure eximimus. Ad quae omnia, uti supra disposita et constituta, ad exsecutionem mandanda Venerabilem Fratrem Marcum Solczyński, in Tanzania Nuntium Apostolicum, eligimus, eidemque idcirco necessarias et opportunas facultates tribuimus, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum et ipsi onus imponimus ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione, cum primum fas erit, authenticum transmittendi peractae exsecutionis exemplum. Contrariis quibusvis causis neutiquam obsistentibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die uno et vicesimo mensis Decembris, anno Domini bis millesimo duodevicesimo, Pontificatus Nostri sexto.

PETRUS card. PAROLIN
Secretarius Status

FERDINANDUS card. FILONI
Praefectus Congregationis
pro Gentium Evangelizatione

Leonardus Sapienza, *Proton. Apost.*
Franciscus Piva, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 433.964

IV

HATINHENSIS

In Vietnamia, dismembrato territorio dioecesis Vinhensis, dioecesis Hatinhensis conditur.

FRANCISCUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Missionem Ecclesiae in mundo provehentes, cuius est quidquid verum, bonum et pulchrum in communitate humana invenitur fovere et elevare ac respondere in Deo desideriis humani cordis, quod nutrimentis terrestribus numquam plene satiatur (cfr *Gaudium et spes*, nn. 76 et 41), decet Nos omnia promovere ut christifideles, ubicumque vivunt, exemplo vitae et testimonio verbi novum hominem, quem per baptismum induerunt, manifestent ac ceteri, bona eorum opera considerantes, genuinum vitae humanae sensum et communionis hominum universale vinculum plenius percipiant.

In his ergo partes libenter interponentes, per quae dioecesium regimini opportune consulatur, mentem Nostram convertimus ad dilectos christifideles, qui Vietnamiam incolunt, postulationem novae dioecesis ibi constituendae diligenter considerantes.

Favorabili igitur habito voto Venerabilis Fratris Leopoldi Girelli, Archiepiscopi titularis Capritani et iam Legati Pontificii in Vietnamia, de consilio Congregationis pro Gentium Evangelizatione preces ad Nos allatas animarum saluti valde profuturas censuimus easque excipiendas decrevimus.

Proinde, Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, a dioecesi Vinhensi omne territorium districtuum civilium finibus in praesens vulgo *Hà Tĩnh* et *Quang Binh* circumscriptum distrahi statuimus atque ex ita distracto territorio novam dioecesim HATINHENSEM nuncupandam erigimus ac constituimus.

Huius novae dioecesis sedem in urbe vulgo *Hà Tĩnh* decernimus ecclesiamque ibi exstantem, Deo in honorem Beatae Mariae Virginis Matris Dei dicatam, ad gradum et dignitatem ecclesiae cathedralis evehimus, cunctis consentaneis concessis iuribus et privilegiis. Novam insuper dioecesim

Hatinhensem statuimus Metropolitanae Ecclesiae Hanoiensis suffraganeam atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione obnoxiam. Cetera vero secundum leges canonicas temperentur.

Ad haec omnia perficienda deputamus negotiorum Sanctae Sedis in Vietnamia gerentem, necessarias et opportunas eidem tribuentes facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad memoratam Congregationem, cum primum fas erit, authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi.

Deum quaesumus, ut, misericordiam suam pandat super Pastores et christifideles huius dioecesis eosque in omnibus custodiat periculis ut, Beata Maria Virgine Dei Matre intercedente, in Ecclesia Christo Salvatori valeant cum dignis operibus obviare et beatitudinis praemia promereri.

Hanc denique Constitutionem Nostram iugiter ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die vicesimo secundo mensis Decembris, anno Domini bismillesimo duodevicesimo, Pontificatus Nostri sexto.

Petrus card. Parolin
Secretarius Status

Ferdinandus card. Filoni
Praefectus Congregationis
pro Gentium Evangelizatione

Leonardus Sapienza, *Proton. Apost.*
Franciscus Piva, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 433.411

V

MISSISSAUGENSIS

Exarchia Apostolica Canadae in Eparchiam sub titulo Mississaugensi extollitur.

FRANCISCUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

ad perpetuam rei memoriam

Munere misericordiae tanto tamque inaudito a Domino sublimati, omnes animae vires in agendis gratiarum laudibus decet nos offerre totumque quicquid vivimus in contemplanda magnitudine eius gratulanter impendere, quia Iesu, id est salutaris, spiritus noster aeterna divinitate laetatur (cfr s. Beda Venerabilis, *Expositio in Lucam*, I, 46-47). Cuius collustrati beneficiis, in his apostolicae Nostrae sollicitudinis partes propensis studiis interponentes, per quae spirituali christifidelium incremento pietatis praesertim et caritatis operibus opportune consuli censemus. Mentem ergo Nostram convertimus ad dilectos christifideles catholicos ritus syri-malabarensis in Canada commorantes et, in eorum bonum et incrementum providenter incumbere volentes, consiliis perpensis Venerabilis Fratris Nostri Georgii S.R.E. Cardinalis Alencherry, Archiepiscopi Maioris Ernakulamensis – Angamaliensis et Synodi Episcoporum Syrorum-Malabarensium Praesidis, nencnon Conferentiae Episcoporum Catholicorum Canadae auditaque Venerabilis Fratris Nostri Leonardi S.R.E. Cardinalis Sandri, Praefecti Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus, favorabili sententia, Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, Exarchiam Apostolicam Canadae in Mississaugensem nuncupandam Eparchiam extollimus, nihil immutatis ecclesiae cathedralis sede atque loco residentiae Episcopi et conclaviis Curiae, cunctis consentaneis impositis iuribus privilegiisque concessis secundum normas Codicis Canonum Ecclesiarum Orientalium.

Hanc Eparchiam Apostolicae Sedi immediate subiectam statuimus, eiusdem Patronum apud Deum sanctum Thomam apostolum renuntiantes, necnon eius Episcopum membrum Synodi Episcoporum Syrorum-Malabarensium. Omnes sacerdotes iam in Exarchiae territorio ministerium exercentes

ipso facto novae constitutae Eparchiae incardinentur atque item Seminarii alumni e paroeciis eiusdem territorii provenientes novae circumscriptioni adscribantur. Cetera vero secundum normas dicti Codicis temperentur.

Misericordiam suam pandat Dominus super Pastores et christifideles huius Eparchiae eosque in omnibus custodiat periculis, ut, Beata Maria Virgine Dei Matre intercedente, in Ecclesia Christo Salvatori mereantur cum dignis operibus obviare et beatitudinis praemia promereri.

Hanc denique Constitutionem Nostram iugiter ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die vicesimo secundo mensis Decembris, anno Domini bismillesimo duodevicesimo, Pontificatus Nostri sexto.

PETRUS card. PAROLIN
Secretarius Status

LEONARDUS card. SANDRI
Praefectus Congregationis
pro Ecclesiis Orientalibus

Leonardus Sapienza, *Proton. Apost.*
Villelmus Millea, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 433.404

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Venerabili Servo Dei Aloisio Caburlotto Beatorum honores decernuntur.

FRANCISCUS PP.

Ad perpetuam rei memoriam. — «Et dabo vobis pastores iuxta cor meum, et pascent vos scientia et doctrina» (*Ier* 3, 15).

Venerabilis Servus Dei Aloisius Caburlotto donum Dei ad consolationem populi exstitit; vestigia revera Pastoris Boni est secutus in animi constanti ad sanctitatem inclinatione atque in generoso quodam ministerio pastorali in paroecia atque in apostolatu erga iuvenes ipsismet relictos, a familia desertos vel parentibus orbatos sine ullo adiumento.

Hic sedulus sacerdos Venetiis die VII mensis Iunii anno MDCCCXVII in familia quadam admodum christiana est ortus. Paupertatem est expertus quae magnum pondus habuit ad eius spiritale iter agendum eumque sollicitum reddidit de sorte miserorum, quibus totam suam dicavit vitam. Postquam scholam frequentaverat fratrum Cavanis, Seminarium est ingressus atque presbyter die XXIV mensis Septembris anno MDCCCXLII est ordinatus. Primum vices gessit parochi in paroecia sancti Pantaleonis deinde in illa sancti Iacobi de Luprio, cuius anno MDCCCXLIX parochus est nominatus. Eius fideles humilem plerumque operam opificum exercebant, ex qua saepe non valebant subsidia vitae necessaria trahere. Pastorali suo studio multa suscepit incepta, praedicationem et sacramentorum administrationem. Operam dedit catechesi tradendae, novas promovens doctrinae christianae consociationes virorum et feminarum. Vires suas hominis et pastoris potissimum de educatione iuvenum expertus est, peculiari modo derelictorum. Ut eos aptiore modo sequi valeret, anno MDCCCL Institutum fundavit Filiarum a Sancto Ioseph, quibus primas dedit vitae normas, spiritalem rationem sancti Francisci de Sales imitans. Amor et navitas pro iuvenum spiritali bono eum induxerunt ut Moderatoris Instituti masculini, vulgo Manin, Venetiis munus etiam obiret. Gravem et magnae prudentiae missionem intercessionis christianae, culturalis et humanae explevit inter laicos et catholicos difficillimo

historiae Venetorum tempore. Eius praesentia eiusque colloquendi facultas cum auctoritatibus et cum variarum doctrinarum hominibus permiserunt ut multi iuvenes et infantes educationem humanam acciperent, secundum proposita Italiae modo unitae, sed etiam certe christianam. Eius sacerdotalis spiritualitas exemplum Pastoris Boni ex Evangelio est imitata. Inde ab annis Seminarii vir fuit orationis, gloriam semper Dei quaerens atque eius voluntatem secundum concretas circumstantias vitae adimplens. Iam in vita sanctitatis fama eum est secuta ideoque ipse Venetiarum Patriarcha, Iosephus S.R.E. Cardinalis Sarto, postea sanctus Pius X, voluit ei unctionem infirmorum administrare, ei assidens in caelum die IX mensis Iulii anno MDCCCXCVII transeunti.

Sanctitatis fama eum in vita iam sequens, post mortem crevit, quam ob rem Causa beatificationis est incepta celebratione Processus Ordinarii annis MCMLXIII-MCMLXIX. Consultores historici in Congressu die XXIV mensis Maii anno MCMLXXXVIII faventem sententiam de Positione super virtutibus protulerunt. Consultores Theologi deinde in Congressu Peculiari die XI mensis Decembris anno MCMXCIII edixerunt Venerabilem Servum Dei virtutes heroicum in modum exercuisse. Eiusmodi sententiam etiam Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria die III mensis Martii anno MCMXCIV protulerunt, ita ut sanctus Ioannes Paulus II die II mensis Iulii anno MCMXCIV Decrectum promulgaret. Pro Beatificatione, praebita est deinde asserta quaedam mira sanatio, quam Congressus Medicorum in Sessione die XVII mensis Maii anno MMXIII iudicavit sub luce scientiae medicae inexplicabilem. Consultores Theologi, in Congressu Peculiari die XXVIII mensis Ianuarii anno MMXIV, sanationem intercessioni Venerabilis Servi Dei adscripserunt; eiusmodi sententiam etiam Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria die VI mensis Maii anno MMXIV protulerunt. Nosmet Ipsi Congregationi de Causis Sanctorum facultatem fecimus ut die IX mensis Maii anno MMXIV Decretum promulgaret. Decrevimus etiam ut Beatificationis ritus die XVI mensis Maii anno MMXV Venetiis perageretur.

Hodie igitur illa in praeclara urbe de mandato Nostro Venerabilis Frater Noster Angelus S.R.E. Cardinalis Amato, S.D.B., Praefectus Congregationis de Causis Sanctorum, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos Venerabilem Servum Dei Aloisium Caburlotto, presbyterum, in Beatorum numerum adscribimus:

Nos, vota Fratris Nostri Francisci Moraglia, Patriarchae Venetiarum, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis Servus Dei Aloisius Caburlotto, presbyter, Fundator Instituti Filiarum a Sancto Ioseph, qui excellens fuit iuvenum educator, constans evangelicae caritatis apostolus et fidelis doctrinae christianae magister, Beati nomine in posterum appelletur, eiusque festum die septima Iunii in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quae autem his Litteris decrevimus, nunc et in posterum rata, stabilia atque item et firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XVI mensis Maii, anno Domini MMXV, Pontificatus Nostri tertio.

De mandato Summi Pontificis
PETRUS Card. PAROLIN
Secretarius Status

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 82.452

II

Venerabili Dei Servae Leopoldinae Naudet caelitum Beatorum tribuitur dignitas.

FRANCISCUS PP.

Ad perpetuam rei memoriam. — «Ego sum via et veritas et vita; nemo venit ad Patrem nisi per me» (*Io* 14, 6).

Leopoldina Naudet, tota Dei proximique amore capta, inde a prima pueritia se fieri sanctam studuit, sciens tantummodo per Domini nostri Iesu Christi crucem nos ad Patrem duci, omnis sanctitatis fontem. Etsi contemplativam vitam affectaret, ad opera misericordiae corporalia a Domino est adducta, usque fidens se committens divinae Voluntati.

Venerabilis Serva Dei Florentiae die XXXI mensis Maii anno MDCCLXXIII nata est a parentibus apud regiam Magni Ducis Etruriae Leopoldi I opus facientibus, qui fuit Baptismi patrinus. Ante amissa matre cum esset quinque annos nata et postea patre, anno MDCCLXXXVII, in Gallia a Dominis N.D. Suessionensibus est instituta. Cum popularis tumultus erumperet, in Etruriam est revocata ut institutrix filiorum Magni Ducis atque, cum Leopoldus I esset factus imperator, cum eo Vindobonam petiit. Eo mortuo, eius soror Maria Anna Ferdinanda, cum Deo se consecrare vellet, Pragam se contulit et Leopoldinam eiusque sororem Aloisiam secum duxit, quae sic Deo et pauperibus iuvandis se dedere potuerunt. Venerabilis Serva Dei, cum plus plusque se Deo consecrare vellet, voluit Trappistis consociari, sed ab hoc proposito eam dimovit eius spiritalis moderator, qui eam certiorem fecit aliam viam esse decurrendam. Cum maiorem perfectionem requireret, primum "Societatem Dilectarum Iesu" una cum sorore et archiducissa instituit. Postea denuo Vindobonam ac tandem Patavium se contulerunt. A Decessore Nostro Pio VII sunt receptae, qui eas ad incohatum opus prosequendum cohortavit. Cum proh dolor Gallici milites in Italiam procederent, eae in varias urbes se conferre sunt coactae, usque Romam ac deinde iterum Venetias et Veronam, a canonico Aloisio Pacetti invitatae, insigni concionatore ac missionario. Opus communicavit cum sancta Magdalena de Canossa, quae Veronae pro pauperibus puellis instituendis operabatur. Duo incepta coniungi non potuerunt, quoniam haec spiritalitatem sancti Vincentii de Paul persequens, humilioris ordinis hominibus iuvandis se solummodo dicare

volebat, dum Venerabilis Dei Serva iudicabat utilius altioris ordinis etiam homines colere. A beato Caspare Bertoni, qui Congregationem Sacrorum Stigmatum Domini Nostri Iesu Christi instituerat, perducta, Veronae condidit Congregationem Sororum Sacrae Familiae quae Collegium Nobilium curavit atque, paucis post annis, puellas populares in collegio eis destinato. Mulieres evangelizare atque, potissimum, eas in institutionis processum inserere, in societate post popularem tumultum, necessitas Venerabili Dei Servae videbatur culturalis socialisque et ea spiritalis. Postquam tantopere in Domini vinea est operata, in sanctitatis fama die XVII mensis Augusti anno MDCCCXXXIV obiit. De ea sancta Magdalena de Canossa scripsit: “Sancta obiit, quae ut sancta vixit”. Eius confessarius ac spiritalis moderator sanctus Caspar Bertoni haec Leopoldinae sorori confisus est: “Tua soror vas est electissimarum gratiarum plenum!”. Eius apostolatus opera proposito sunt sustentata vitae contemplativae, ad instar sancti Ignatii de Loyola spiritalitatis. Assidua precatio spei coniuncta virtus fuit maxime exercita. Eximia Leopoldinae confidentia in Domini gratia iugiter cum Dei proximique caritate coniungebatur. Scripsit: “In solitudine cum Deo manere: mea vera haec est felicitas”.

Latam eius propter sanctitatis famam inde ab anno MDCCCXXXV iam Processus Informativus parabatur, sed bella quae medio saeculo XIX eruperunt, Instituta religiosa anno MDCCCLXVI exstincta, Instituti exiguitas antea et duo mundana bella post, Causam incohandam tardarunt. Tantum anno MCMLXXI incohatus est eius processus beatificationis. Servatis iure statutis ac parata Positione, die XXII mensis Iunii anno MMVI habitus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum qui favens suffragium tulerunt. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione ordinaria die XX mensis Martii anno MMVII eius virtutes heroum in modum exercitas agnoverunt, sic Decessor Noster Benedictus XVI facultatem fecit ut Congregatio de Causis Sanctorum congruum Decretum ederet. Beatificationis causa sanatio mira putata exhibita est, quam medici Consultores die XVI mensis Iunii anno MMXVI inexplicabilem ad scientiam iudicarunt atque Consultores Theologi, in peculiari congressione die XX consequentis mensis Septembris Venerabili Servae Dei tribuerunt. Patres Cardinales et Episcopi, in sessione Ordinaria coadunati die VI mensis Decembris anno MMXVI, hunc eventum verum miraculum iudicarunt, sic Nos facultatem fecimus ut Congregatio de Causis Sanctorum congruum Decretum

de miraculo evulgaret ac statutimus insuper ut beatificationis ritus Veronae die XXIX mensis Aprilis anno MMXVII celebraretur.

Hodie igitur Veronae ex mandato Nostro Angelus S.R.E. Cardinalis Amato, S.D.B., Praefectus Congregationis de Causis Sanctorum, Apostolicas legit Litteras quibus Nos in Beatorum numerum rettulimus Venerabilem Dei Servam Leopoldinam Naudet:

Nos, vota Fratris Nostri Iosephi Zenti, Episcopi Veronensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis Serva Dei Leopoldina Naudet, virgo, Fundatrix Congregationis Sororum a Sacra Familia, quae assidue humanae christianaeque iuvenum educationi se dicavit et magna caritate familias in difficultatibus versantes sustinuit, Beatae nomine in posterum appelletur atque die decima septima mensis Augusti, qua in caelum orta est, quotannis in locis et modis iure statutis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXIX mensis Aprilis anno MMXVII, Pontificatus Nostri quinto.

De mandato Summi Pontificis
PETRUS Card. PAROLIN
Secretarius Status

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 400.961

III

Venerabilibus Servis Dei Antonio Arribas Hortigüela, presbytero, et VI sociis, martyribus, Beatorum honores decernuntur.

FRANCISCUS PP.

Ad perpetuam rei memoriam. — «Domine Iesu, suscipe spiritum meum. [...] Domine, ne statuas illis hoc peccatum» (cfr *Act* 7, 59-60).

Ultima haec Stephani protomartyris verba summa efficacia indolem manifestant spiritualem Venerabilium Servorum Dei Antonii Arribas Hortigüela, presbyteri, eiusque sociorum, qui mortem acceperunt pro amore et fidelitate Iesu. Qui testes fidei die XXIX mensis Septembris anno MCMXXXVI, tempore persecutionis contra Ecclesiam in Hispania, comprehensi sunt ac dein per vim a Comitatu Seditiosorum tantum quia religiosi interempti. Sodales enim erant Congregationis Missionariorum Sacratissimi Cordis Iesu, qui in oppido vulgo *Canet de Mar* una cum communitate sua sedem habebant et pro instituendis iuvenibus religiosis Congregationis peculiariter nitebantur.

Septem hi martyres sunt:

1. Pater Antonius Arribas Hortigüela: die XXIX mensis Aprilis anno MCMVIII in municipio vulgo *Cardeñadijo* prope Burgum ortus est. Vota religiosa anno MCMXXVIII professus est ac die VI mensis Aprilis anno MCMXXXV presbyteratu auctus. Praeter officia magistri institutorisque Fratrum apparabat opera. Vir erat benignus iucundusque ac sedulus. Duodetriginta annos natus, in loco vulgo *Seriñà* una cum VI sodalibus vitam suam pro Christo obtulit.

2. Pater Abundius Martín Rodríguez: die XIV mensis Aprilis anno MCMVIII in loco vulgo *Villaescusa de Ecla* prope Palentiam ortus est. Vota religiosa anno MCMXXV professus est et anno MCMXXXI presbyteratu auctus. Vir erat affabilis, aliorum sedulus, magna spirituali sublimitate praecellens atque institutioni puerorum deditus.

3. Pater Iosephus Oriol Isern Massó: die XVI mensis Iunii anno MCMIX in urbe vulgo *Villanueva y Geltrú* prope Barcinonem ortus est. Vota religiosa anno MCMXXVII professus est et anno MCMXXXIII presbyteratu auctus. Exemplar semper fuit conversationis, religiosus patiens admodum, modestus vero ac verecundus.

4. Pater Iosephus Vergara Echeverría: die XVIII mensis Iunii anno MCMVIII in loco vulgo *Almandoz* in Navarra ortus est. Vota religiosa anno MCMXXVII professus est et anno MCMXXXIV presbyteratu auctus. Vir erat indole comis, excelsus animo et ad colloquium proclivis, sacerdos de missione sua penitus persuasus.

5. Frater Gumersindus Gómez Rodríguez: die XV mensis Octobris anno MCMXI in loco vulgo *Bonuza* prope Legionem ortus est. Vota religiosa anno MCMXXIX professus. Navus industriusque erat vir, simplex et magnanimus.

6. Frater Iesus Moreno Ruiz: die XIII mensis Ianuarii anno MCMXV in loco vulgo *Osorno la Mayor* prope Palentiam ortus est. Vota religiosa anno MCMXXXV professus est. Iuvenis erat vivacis laetique animi. Coquinae communitatis dabat operam.

7. Frater Iosephus del Amo del Amo: die XII mensis Iunii anno MCMXVI in loco vulgo *Pumarejo de Tera* prope Ocelum ortus est. Vota religiosa anno MCMXXXIV professus est. Iuvenis erat animi aequi, simplex et contentus se esse religiosum. Tempore persecutionis viginti annos natus erat, aetate in illo coetu minimus.

Horum Servorum Dei caedis pervulgatus nuntius apud populum christianum persuasionem sponte genuit eosdem martyres esse neque defuerunt qui statim eos invocare tamquam intercessores apud Dominum inceperunt. Fama martyrii horum Venerabilium Servorum Dei semper apud populum fidelem perduravit. Propterea apud Curiam Gerundensem anno MCMXCV Inquisitio dioecesana celebrata est. Expletis iure requisitis et Positione confecta, die XXX mensis Aprilis anno MMXV Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum prosperam sententiam quoad martyrium censuit. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria die V mensis Iulii anno MMXVI habita agnoverunt horum Venerabilium Servorum Dei heroicam mortem verum martyrium in odium fidei fuisse.

Nosmet Ipsi insequenti die VIII eiusdem mensis Iulii concessimus, ut Congregatio de Causis Sanctorum Decretum super martyrio promulgaret, statuimusque proinde, ut ritus Beatificationis die VI mensis Maii anno MMXVII Gerundae in Hispania perageretur.

Hodie igitur hac in urbe de mandato Nostro Venerabilis Frater Noster Angelus S.R.E. Cardinalis Amato, S.D.B., Praefectus Congregationis

de Causis Sanctorum, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos Venerabiles Servos Dei Antonium Arribas Hortigüela, presbyterum, et VI Socios in Beatorum numerum adscribimus:

Nos, vota Fratris Nostri Francisci Pardo Artigas, Episcopi Gerundensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus, ut Venerabiles Servi Dei Antonius Arribas Hortigüela, presbyter, et VI socii, sodales Missionariorum Sacratissimi Cordis Iesu, martyres, qui, suae vocationi fideles, Evangelium usque ad sanguinis effusionem sunt testificati, Beatorum nomine in posterum appellentur atque die sexta mensis Novembris quotannis in locis et modis iure statutis celebrari possint. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Clari hi martyres, viri sancti qui amaverunt Christum in vita sua eumque imitati sunt in morte, in quibus Deus crucis mysterium mirabiliter illustravit, ut, ex eorum sacrificio roborati, nos Iesu fideliter haereremus et in Ecclesia ad salutem omnium operaremur, sicuti fortes in eiusdem confessione vixerunt, ita et fidei nostrae praebeant firma incrementa virtutum et multiplici nos suffragio consolentur.

Quae autem his Litteris decrevimus, nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die VI mensis Maii, anno MMXVII, Pontificatus Nostri quinto.

De mandato Summi Pontificis
PETRUS Card. PAROLIN
Secretarius Status

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 356.658

IV

Venerabili Servo Dei Arsenio a Trigolo Beatorum honores decernuntur.

FRANCISCUS PP.

Ad perpetuam rei memoriam. — «Dabo vobis pastores iuxta cor meum» (*Ier* 3, 15).

Haec prophetica promissio luculenter collustrat vitam Venerabilis Servi Dei Arsenii a Trigolo, qui Domini voluntatem iugiter exquirens, summa congruentia liberalique deditione religiosam excoluit et sacerdotalem vocationem.

Is die XIII mensis Iunii anno MDCCCXLIX ortus est in oppido v. d. Trigolo, prope Cremonam, et baptismali lavacro ablutus est Iosephi nomen accipiens. Parentes eius, firma fide roborati, cauponam possidebant et pistrinum, ex quorum proventibus frequentem familiam sustentare possent. Puerili adhuc aetate, Dei Servus per sacerdotale ministerium Domino servire appetebat, quapropter Cremonensi Seminario nomen dedit, ubi formationis iter explevit annis MDCCCLXIII-MDCCCLXXIII, ipso tempore quo incerta quaedam culturalis ac politica mens grassabatur propter infaustas inter Regnum Italiae et Statum Pontificium necessitudines. Eius attenta benignitate ac loquendi ratione, missus est ante tempus, deficientibus presbyteris, in quandam paroeciam, ubi tempus inter studia theologiae et opus pastorale dispertire potuit. Sacro presbyteratus ordine die XXI mensis Martii anno MDCCCLXXIV est insignitus et coadiutor parochi destinatus in loco v. Paderno di Ossolaro, ac deinde in Cassano d'Adda. Vires pariter impendit diversa paroecialia exercens munera, omnibus orationis et apostolici fervoris exemplum relinquens. Flagrante animo sese Domino omnimodis vovendi, consilium cepit religiosam vitam amplectendi, et ingressus est Societatem Iesu. Primam emisit religiosam professionem anno MDCCCLXXVII. Cum onera studii scholastici valetudinem eius graviter opprimerent, studia intermittere est coactus. A Superioribus missus est uti praefectus in Collegium Cremonense, ubi philosophicum explevit curriculum; deinde theologiae studiis se dedit in loco Portorose in Istria. Probationis annum Lentiae transegit prope Vindobonam, et anno MDCCCLXXXVIII Venetiis, munere fungens coadiutoris spiritualis, perpetuam emisit professionem. In apostolico exercendo ministerio omnium aestimatio-

nem sibi conciliavit, praesertim communitatum sororum, quibus tamquam exercitiorum spiritualium et animarum moderator servitium praestitit. Illis quidem annis, ingentibus operibus onustus, quandam invenit mulierem, nempe Paschalinam Iosephinam Fumagalli nomine, quae ex Sororibus Dominae Nostrae a Bono Succursu dimissa, Institutum religiosum "a Consolata" uti appellabatur condiderat, domos erigendo sive Augustae Taurinorum sive Mediolani, sed absque Episcoporum illarum sedium licentia. Venerabilis Servus Dei, quandoquidem duas iuvenes induxit ut illud Institutum Taurinense sororis Paschalinae Fumagalli ingrederentur, a Superioribus reprehensus est, quocirca mense Martio anni MDCCCXCII ob accusationem gravis imprudentiae e Societate Iesu est dimissus. Idcirco in natalem terram rediit; nihilominus, ab Archiepiscopo Taurinensi invitatus, spiritualem assumpsit curam illius Instituti, a Iosephina Fumagalli fundati, nempe Sororum a Maria Sanctissima Consolatrice, quod interdum canonicam obtinuerat approbationem, cuiusque ipse Regulam et Constitutiones Ignatiano charismate inspiratas redegerat. Anno MDCCCXCVI Mediolanensem in urbem Primariam Domum transtulit et Novitiatum Instituti, quibus per decennium moderatus est. Deinde tamen, dum primum Capitulum Generale anno MDCCCXCIX celebraretur, exsurgere coeperunt dissensiones quaedam inter duas Provincias, Mediolanensem et Taurinensem, ita ut Archiepiscopus Mediolanensis, beatus Andreas Carolus Ferrari, omnia munera renovare statuerit. Quamobrem Venerabilis Servus Dei amotionem subiit et omnimodam vitae suae eversionem oppetere debuit. Itaque, tres et quinquaginta annos iam natus, de faventi Superiorum sententia, novitiatum incepit apud Fratres Minores Capuccinos Provinciae Mediolanensis. Temporariis votis nuncupatis, Bergomum destinatus est ut iuvenes studentes capuccinos spiritualiter comitaretur. Hac in urbe, post brevem praetermissam novae discessionis periodum, extremos vitae annos gessit pastorale ministerium et curam Tertii Ordinis exsequendo. Ipse tam ex oratione quam ex eucharistica celebratione fortitudinem hauriebat ad perdifficiles asperitates sub fidei speique christianae lumine obeundas. Sive malum quod subiit sive bonum quod fecit, omnia silentio ac misericordia praeterivit. Mitis erat et mansuetus, simplici praeditus animo et erga omnes sincera perfusus caritate. Mirum in modum interiorem vitam cum pastorali actione componere valuit. Sacerdotalem gessit vitam uti sublime testimonium amoris erga Deum ac mirabili apostolico fervore erga animas, promptum iugiter se praebens ad excipiendam fortitudinem gratiae, quae

inter dissimiles quoque vitae vicissitudines eum efficaciter confirmavit. Anno MCMIX Venerabilis Servus Dei valetudinis casum pati coepit. In valetudinarium provinciale Bergomense translatus, nocte diei X mensis Decembris anno MCMIX aneurismate cordis percussus animam exhalavit. Exsequiae eius franciscali simplicitate necnon coram ingenti fidelium civium multitudine sunt celebratae, quod quidem boni testificationem operis exstitit, quod ipse seminaverat.

Oratione suffulta, uti proprium est verae contemplativae, suis in actionibus Mater Paula serena fuit ac mitis, prudens, in Deo constituta, maxime in difficultatibus ob rerum inopiam vel ob livores et nimia studia partium. Non defuerunt enim illi qui ei dolorem attulerunt, quia eam simplicem et minime aptam in Instituti rectione iudicaverant. Illis in adiunctis Mater Paula benigne iis ignovit, communioni favit et prudentium ac sapientium consilio adhibuit ut ad bonum ducerent. Oboediens superioribus suis, humilis humanis in consuetudinibus evasit, Serva Dei patienter se tradidit ut Institutum approbaretur, spei virtutem exercendo atque divinae Providentiae

totam suam fidem committendo. Pauper ac casta Christi in sequela fuit secundum exemplum sancti Francisci Assisiensis, cuius se dicebat «pauperem et humilem filiam», et communitatem a se fundatam «parvum gregem franciscanum» existimabat.

Serva Dei ad culmen caritatis pervenit anno 1910 cum eam falso accusaverunt, quod generale capitulum non indixisset, subiecta est Apostolicae Visitationi et cum anno 1912 ab Instituti gubernio remota sit et suo morbo et invidiis segregata. Numquam questa est, sed christiana patientia ignovit. Silentio et humilitate se recessit et ad illa pauca officia attendebat, quae ei tuberculosis concedebat. Contagionis metus ad Servam Dei e consororibus ulterius segregandam vim habuit, quamquam ipsa sua prudentia omne commercium cum aliis ad necessaria reduxit. Murciae domui die 18 mensis Ianuarii anno 1913, fidei refecta signis, mortali e vita excessit. In coemeterio *Iesu Nostri Patris* infimo in sepulcro quarti ordinis, scilicet pauperum, inhumata est.

Ob famam sanctitatis Servae Dei incepta est Inquisitio dioecesana, quae apud Curiam ecclesiasticam Carthaginensem a die 14 mensis Octobris anno 1995 ad diem 11 mensis Octobris anno 1997 celebrata est, cui nonnulli Rogatoriales Processus in Costarica et Guatimala accesserunt, quorum omnium iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 26 mensis Februarii anno 2016 est approbata. Exarata *Positione*, die 21 mensis Ianuarii anno 2014 Historicorum Consultorum Congressus celebratus est. Deinde consuetas secundum normas disceptatum est an Serva Dei heroum in modum virtutes excoluisset. Die 17 mensis Maii anno 2016, positivo cum exitu, habitus est Theologorum Consultorum Congressus. Patres Cardinales et Episcopi Ordinaria in Sessione diei 20 mensis Iunii anno 2017, cui egomet Angelus Cardinalis Amato praefui Servam Dei virtutes theologales, cardinales eisque adnexas exercuisse professi sunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Paulae a Iesu Gil Cano, Fundatricis Congregationis Sororum Franciscalium a Purissima Conceptione, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 7 mensis Iulii a.D. 2017.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

MEXICANA

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Humilitatis (in saeculo: Mariae Patlán Sánchez) Sororis professae Sororum Franciscalium ab Immaculata Conceptione (1895-1970)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Quaerite Dominum, omnes mansueti terrae, qui iudicium eius estis operati; quaerite iustitiam, quaerite mansuetudinem» (*Soph* 2, 3).

Dei voluntatis exsecutio per viam humilitatis Servae Dei Humilitatis Patlán Sánchez (in saeculo: Mariae) totius spiritualitatis fuit caput et fulmentum, quae vita et operibus nomini suo, quod religiosa in professione acceperat, honorem tribuit. Humilitatem enim virtutem magistram fidei in vita existimavit, regalem viam percursam a Dei Filio, ut Redemptionem exageret, principium omnium virtutum, semen sanctum florens in oboedientia, in patientia, in prudentia et quae sublimem fructum caritatis parit.

Serva Dei in praedio dicto Conceptionis (*Guanajuata*) in Mexico die 17 mensis Martii anno 1895, maxima natu Heleni Patlán et Mariae Cruz Sánchez nata est. Sequenti die 27 mensis Maii sacro fonte lustrata est. Vix ad nonum annum suae aetatis est patre orbata ac mater summo incommodo familiam sustentavit.

Serva Dei Sororum Missionariarum Carmelitarum Sanctae Teresiae quosdam per annos collegium frequentavit, a quibus pietatem et singularem devotionem erga Virginem Mariam didicit. Cum domum rediit una cum matre sua et duobus fratribus aequo animo vitam degit, orationi, operibus cotidianis et auxiliis pro pauperibus egenibus se tradidit. Istis in adiunctis in ea religiosa vocatio excitata est. Die 17 mensis Februarii anno 1912 ingressa est Congregationem Sororum Franciscalium ab Immaculata Conceptione, quae Mexicopoli anno 1874 a Patre Iosepho del Refugio Morales, OFM, fundata erat, et religiosam vestem induens nomen sororis Humilitatis a Pragensi Puero Iesu sumpsit.

Die 25 mensis Maii anno 1913 primitus religiosam professionem emisit. Illo die vovit se vitam suam in humilitate, mortificatione et poenitentia servaturam esse. Constituit orationem ut suum praecipuum cibum, paupertatem ut dilectissimam amicam et denique oboedientiam ut suum magnum

thesaurum. Haec proposita, divinae gratiae auxilio, ad effectum feliciter pervenerunt. Cum superiores eius bene promittentes virtutes existimavissent ei commiserunt munus magistrae postulantium et noviciarum una cum pueros ac adultos docendi apostolatu. Anno 1922 vix ad vicesimum septimum annum suae aetatis facta est superiorissa generalis Instituti, hoc munere per viginti et quattuor annos functa est, praeter intervallum ab anno 1933 ad annum 1945: haec fuerunt tempora magnarum laetitiarum, sed etiam multarum contentionum et calumniarum.

Serva Dei magnum semper amorem erga Institutum suum servavit maximeque erga consorores caritatem exercuit, quae in ea matrem, moderatricem et vivens exemplar Regulae invenerunt. Cum communitates vel singulas domus religiosas visitabat, rem spiritu auscultationis et fraternae sollicitudinis gerebat. Litteris in circularibus omnia efficaciter conscribebat, quae a Domino afflata erant. Interdum reprehendebat, etiam si exhortari malebat, omnes consorores hortabatur ad divinum Sponsum fideliter sequendum et Mariam illis ad instar summi exemplaris virtutis imitandae porrigebat.

In aerumnis libenter dictitabat: «Fortitudo nobis ex amore Dei est, qui nos adiuvat ut omnes difficultates vincamus». Hoc singulari modo ostensum est in rebus, quae eius in Natione eveneunt. Etenim cum primum mandatum et ex parte secundum exsecuta est, scilicet inter annum 1922 et annum 1933 in Mexico religiosa persecutio exorta est. Mater Humilitas, firma fide, consorores in aerumnis confortare valuit, iisdem, religiosarum auctoritatum indultu, eucharisticam communionem gestans atque easdem cohortans ne ditissimum donum christianae fidei amitterent.

Ob eius optimam facultatem in Instituto gubernando, tempore eius primi generalatus dioecesana approbatio eiusdem Instituti obtenta est et Constitutiones editae sunt. Postea, tertii mandati tempore, scilicet inter annum 1945 et annum 1952, propter ingens vocationum incrementum *Decretum Laudis* adeptum est. Mater Humilitas divitias suae interioris vitae etiam per scripta sua tradidit, enim primas Instituti Constitutiones, commentarium super Regulam, enchiridion urbanitatis, ritualem librum orationis, Viam Crucis necnon primas notas historicas super Congregationem edidit.

Pro certo conscia sui de pusillitate, sua vita humilitatis virtutem omnino positam esse in sui aequam agnitionem et in omnium honorum soli Deo attributione testata est. Eius fidei vita alebatur constanti, intima ac litur-

gica oratione, exercitio spiritualium meditationum et denique illo silentio, in quo Deo occurrebat. Tali ratione vixit et Domini in praesentia, etiam parvis in rebus, vitae cotidianae vivere docuit. Sua in spiritualitate attendit ad reparationem, se tradens in orando ac se offerendo pro omnibus, qui a Deo procul erant.

Donum consilii, prudentiae, iudicii habuit, quibus simulationi et perfidiae obstitit. Amore materialem ac spiritualem paupertatem degit uniuscuiusque necessitates intelligendo ac expediendo. Corde ignovit omnibus, qui eam gravibus malignis suspicionibus laedebant, quoad eius castitatem cuius semper observantissima fuit.

A Deo dilecta ac misericordia, bonitate, humilitate, mansuetudine ac longanimitate induta (*Col* 3, 12), mortua est die 17 mensis Iunii anno 1970 iuxta civitatem Verae Crucis in Mexico, septuagesimo quinto anno aetatis. Famam sanctitatis inter consorores Congregationis et omnes, qui ei occurrerant, reliquit.

Hac fama Dioecesanus inceptus est Processus ad beatificationem et canonizationem. Rescripto positivo de *Competentia fori* obtento, apud Curiam ecclesiasticam Mexicanam ab anno 1999 ad annum 2006 Inquisitio dioecesana celebrata est, cui accessit anno 2008 Inquisitio suppletiva, quorum omnium iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 2 mensis Iulii anno 2010 est approbata. Exarata *Positione*, consuetas secundum normas disceptatum est an Serva Dei heroum in modum virtutes excoluisset. Die 4 mensis Octobris anno 2016, positivo cum exitu, Theologorum Consultorum Peculiaris Congressus habitus est. Patres Cardinales et Episcopi Ordinaria in Sessione diei 6 mensis Iunii anno 2017 congregati, cui egomet ipse Angelus Cardinalis Amato praefui, Servam Dei heroico in modo theologales, cardinales et adnexas virtutes excoluisse professi sunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Humilitatis* (*in saeculo: Mariae Patlán Sánchez*), *Sororis professae Sororum Franciscalium ab Immaculata Conceptione, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 16 mensis Iunii a.D. 2017.

ANGELUS CARD. AMATO, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

PANORMITANA

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Francisci Pauli Gravina Christifidelis Laici (1800-1854)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Clama ad me, et exaudiam te et annuntiabo tibi grandia et inaccessibilia, quae nescis» (*Ier* 33, 3).

Ieremiae propheticum oraculum apte designat spiritualem imaginem Servi Dei Francisci Pauli Gravina, Principis Palagoniae, ut ipse in suo *Mystico testamento* scripsit: «Agnosco impenetrabile Altissimi decretum». Servus Dei, nobili stirpe natus, eximius publicarum institutionum delegatus, fulgens humilitatis fuit exemplar. Altissimi amantissimus vixit et heroico modo Christi praecepta exsecutus est, eius in nomine caritatem adhibendo erga alios, maxime debiliores, parentibus orbatos, inopes et e sociali vita exclusos.

Servus Dei Panormi die 5 mensis Februarii anno 1800 natus est et sequenti die sacro fonte lustratus. Ob praematuram matris mortem, vix quinto aetatis suae anno, omnes titulos ac patrimonialia familiae bona hereditate accepit, una cum avitis titulis Paris Regni, quo suo iure Siculum Parlamentum ingrediebatur et Hispaniae Grandatu primae classis exornabatur. Franciscus Paulus prima iuventute regalis Borbonicae familiae optimatium consortium frequentavit. Illa in regia cognovit Mariam Nicolaidem Filangieri ex familia principum Cutò, Neapolitanam, quam uxorem duxit undevicesimo anno aetatis suae, ex qua tamen postquam decem per annos una vixerunt, filios non habuerunt.

Coniugalis vitae tempus difficile ac turbulentum fuit ob Nicolaidis nimiam moralem libertatem, eo ut publice ei infidelem se praebuisset, Servus Dei moralem necessitatem animadvertit consuetudinem coniunctionemque cum dignitate intermittendi, sine recursu ad honorabilem homicidium nec rivalem ad duellum provocando, uti infelix mos apud nobiliores erat. De hac re scripsit: «Deus... liberis et quavis progenie me privare voluit, cum evenit ut in uxorem accepissem, quae naturali ac morali constitutione inconciliabilis cum mea videbatur, hac causa ad separationem personalem, communi consensu et irrevocabili observantia, processimus». Immo, Servus Dei vitam

castam ac severam servavit, talem habuit obsequium erga sacrum vinculum coniugale ut modo insolito ac prorsus christiane suam sollicitudinem de coniugis discessae aeterna salute ostenderet cum scripsit: « Alterum legatum ad missam celebrandam instituo, ab hinc ad longos annos, post obitum meae coniugis ad salutem animae eius in infinitum et in perpetuum... hoc solum existimans christianam recordationem esse, qua ei committere valeam ».

Ab anno 1830 Servus Dei Tertio Ordini Sancti Francisci se adscripsit, constantem vitam orationis ac cotidianae participationis ad Eucharistiam exercendo, gradatim potuit ad effectum perducere vocationem omnino se dedicandi pauperibus, quod fecit sine intermissione usque ad mortem. Sequentibus annis, praeter prudentissimam immensorum praediorum administrationem, quorum ipse se existimabat curatorem in nomine indigentium, publica munera et civilia mandata ei commissa sunt ad utilitatem ingentis copiae pauperum Panormi miserrimorum vicorum.

Amorem heroicum erga vitae exheredatos et intelligentiam in caritate Servus Dei constanter adhibuit, qui in unoquoque misero Iesu dolentis imaginem inveniebat. Ex hac rerum visione funditus christiana orta est fere singularis ratio agendi ad homines recuperandos, quae viguit totam per reliquam partem vitae principis Gravina et eius multarum operum nota fuit praecipua, quae incipiebant ab hospitalitate et per institutionem et impulsum ad operam sua cum debita mercede perficiebantur, ut mendicatio diuturna exstingueretur, cohibendo pericula exitus ad delinquentiam et in summa mendicantes ad humanam dignitatem provehendo.

Servus Dei incredibilem numerum pauperum in suo nobili palatio excepit. Publicus officialis Panormi Praetoris munere nominatus, eius navitates tanti momenti a politica auctoritate Borbonica existimarentur ut, mandato termine suo peracto, ob timorem irarum plebis in Europa exardescentium ex auctoritate Locumtenentis Regis, ei mandatum est fundare et curatoris munere regere *Mendicitatis Depositorium.* Sua eximia christiana indole Servus Dei tam politice et ordinatione quam caritate gerere ac administrare illam immensam operam valuit. Haec omnia praeter expectationes auctoritatum Borbonicarum et immo saepe cum iisdem pro beneficio pauperum confligens, quorum praesidium ac tutamen totius suae vitae erat finis. Denique praeter voluntatem *Congregationis Sacerdotum Caritatis*, constituit *Institutum Sororum Caritatis* scilicet *Sorores Principis*, sicut postea nuncupatae sunt, sub tutela Sancti Vincentii a Paulo.

Cum Regni Par esset et Camerae Senatorum interesset, expediente rerum conversione anno 1848 ad novum liberum parlamentum, die 13 mensis Aprilis, ipse una cum omnibus nobilibus et magna parte Siculorum ecclesiasticorum subscripsit amissionem Borbonicae Coronae in Sicilia. Cum Monarchia restituta est, dum omnes qui destitutionem subscripserant Regis veniam peterent repudiarentque suam adhaesionem ad decretum, Servus Dei constantiae causa et subscriptionis dignitate eandem infitiari recusavit, conscius se ultionibus obicere. Sublato enim eius dignitatis insigni, retinuit administrationem piarum operarum, quod regnantium fuit argumentum renovatae existimationis.

In hac vita eius vehemens et constans virtutum eminebat heroicum exercitium, fides pura, oratio alta, nava spes in fortitudine ac prudentia expedita, et denique caritas semper conversa ad Dei gloriam et ad pauperum promotionem.

Consumptis suis viribus in exsistentia proximis omnino dedita, Franciscus Paulus Gravina, phthisi correptus, die 15 mensis Aprilis anno 1854 aequo animo mortuus est. Testamento suo statuit ut exequiae pauperum more celebrarentur quod re vera evenit. Eius tamen funebris pompa popularis eventus evadit et eius memoria diu permansit, sanctitatis famam clare significando.

Haec sanctitatis fama per annos crevit. Quam obrem a die 30 mensis Maii anno 1990 ad diem 22 mensis Februarii anno 2002 apud Curiam Archiepiscopalem Panormitanam Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 11 mensis Octobris anno 2002 est approbata. Die autem 10 mensis Maii anno 2005 ab Historicorum Consultorum Congressu *Positio* examinata et approbata est. Deinde consuetas secundum normas disceptatum est an Servus Dei heroum in modum virtutes excoluisset. Positivo cum exitu, die 9 mensis Iunii anno 2016 Peculiaris Congressus Theologorum Consultorum habitus est. Patres Cardinales et Episcopi Ordinaria in Sessione die 3 mensis Octobris anno 2017 congregati, cui egomet Angelus Cardinalis Amato praefui, Servum Dei heroicum in gradum theologales, cardinales eisque adnexas virtutes exercuisse professi sunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die

declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Francisci Pauli Gravina, Christifidelis Laici, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 9 mensis Octobris a.D. 2017.

ANGELUS CARD. AMATO, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

FRIBURGENSIS

Canonizationis Beati Bernardi de Baden Marchionis Badensis (1428-1458)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« De te dixit cor meum: "Exquirite faciem meam!". Faciem tuam, Domine, exquiram » (*Ps* 27, 8).

Dei voluntatis conquisitio totam vitam beati Bernardi de Baden describit, qui temporibus magnarum difficultatum politicarum et vehementium socialium motuum constans fuit et fide dignum Christi eiusdem Regni iustitiae et veritatis testimonium perhibuit.

Beatus in castello v. d. *Hohenbaden* prope Aureliam Aquensem in Germania anno 1428 vel 1429 natus est. Nobili genere, marchionis Iacobi I Badensis et uxoris eius Catharinae Lotharingicae secundus fuit filius. Eius in familia religio summi momenti erat, pater enim monasterium (nunc deletum) in pago *Fremersberg* fundavit Badensemque collegiatam ecclesiam exornavit.

Bernardus, ut dominus regionis fieret, optime institutus est varia munera executurus, prope extremam provinciam septemptrionalem, necnon ut ipse marchio oppidorum *Pforzheim*, *Eberstein* et *Besigheim* exstaret. Sponsalia eius cum Magdalena de Valois, filia Caroli VII Francogalliae Regis, statuta sunt. Per Carolum fratrem eius, qui in uxorem Catharinam domus Habsburgensis sororem Friderici III duxerat, eius familia imperiali cum progenie coniuncta est.

Bernardus sui temporis discriminum conscius, exemplari modo ut populi dolores et egestates levarentur operatus est, ingentemque partem suorum redituum pro egenum necessitatibus servavit. Singularem spiritum orationis ostendit eiusque optimi mores homines illius temporis ad pietatem adducebant.

Cum anno 1452 Fridericus III Romae insigne imperiale acciperet eodemque anno Bernardus prope principis domum missus est ut ad equestrem dignitatem institueretur. Postquam quibusdam annis apud Franciscum Sfortiam militaverat, ducis ac legati exercens munus ad imperialem domum rediit. Anno 1453 Constantinopoli a Turcis capta, domus Habsburgensis consilium cepit bellum adversus Imperium Turcarum christiano nomine suscipiendi. Bernardo, cum ipse patri suo in marchionali dignitate successisset,

ab Imperatore mandatum est ut ad varias Europae regias se conferret, ad regnantes persuadendum ut hoc consilium participarent. Ut liberius hoc munere fungeretur, moderamen sui marchionati fratri Caroli reliquit et de sponsalibus cum filia Regis Francogalliae decessit.

Bernardus alacer et prudens erat generosusque in se largiendo, apertus erga fratrum necessitates. Iam a pueritia ad gratiae actionem promptus, iuvenili aetate autem sequelae Christi et in Ecclesia famulatui scienter se tradidit. Eius vitae in decursu ingens inquisitio perfectionis invenitur, quae eum ad plenitudinem spiritualis maturitatis perduxit. Fides fax fuit, quae vitae totum regimen et optiones eius collustravit principiis Christi equitum aevi medii consentanea.

Ad fidem tuendam et propagandam multa itinera confecit et nonnullas difficultates superavit, seipsum committendo divinae voluntati, ad orationem se omnino tradens, vi et lenitate Ecclesiae defensioni et proposito solidae christianitatis, quae tamen non esset caeca vel intollerans, interfuit. Eius constans testimonium spiritus tranquillitatis, humilitatis oboedientiae et integritatis una cum caritate limpida et generosa homines sui temporis valde commovit.

In quodam illorum itinerum Genuae adstabat, eandem urbem a peste depopulatam invenit. Ipse lue correptus, iter ad Aureliam Aquensem recepit, tamen ad Montem Calerium pervenit et morbo consumptus cecidit. Quamquam a fratribus Sancti Francisci adiutus erat, die 15 mensis Iulii anno 1458 mortuus est.

Cum exequiae celebrarentur prima mira evenit res: enim quidam vir, qui ab ortu suo membris distortus erat, sanatus est. Beati reliquiae, nunc prope ecclesiam Sanctae Mariae de Scala Montis Calerii servatae, cito a multis peregrenationibus visitabantur.

Qua sanctitatis fama, iam ab anno 1480 Processus Ordinarius ad virtutes agnoscendas inceptus est et a die 31 mensis Iulii anno 1667 ad diem 25 mensis Maii anno 1668 iuxta archidioecesim Taurinensem rursus resumptus, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione per Decretum diei 16 mensis Septembris anno 1769 est approbata. Ob plurimas sanationes eius intercessioni tributas, anno 1769 Summus Pontifex Clemens XIV cultum eius ab immemorabili tempore praestitum confirmavit et postea patronum Montis Calerii et oppidi Aureliae Aquensis proclamavit. His temporibus iuxta Curiam ecclesiaticam Friburgensem a die 10 mensis Februarii anno 2011

ad diem 21 mensis Novembris anno 2012 Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 24 mensis Ianuarii anno 2014 est approbata. Exarata *Positione*, die 5 mensis Maii anno 2015 feliciter habitus est Consultorum Historicorum Congressus. Deinde consuetas secundum normas disceptatum est an Beatus virtutes heroum in modum exercuisset. Positivo cum exitu die 20 mensis Septembris anno 2016 Peculiaris Consultorum Theologorum Congressus habitus est. Patres Cardinales et Episcopi Ordinaria in Sessione diei 17 mensis Octobris anno 2017, me, Angelo Cardinale Amato praesidente, Beatum virtutes theologales, cardinales et adnexas heroicum in gradum exercuisse agnoverunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Beati Bernardi de Baden, Marchionis Badensis, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 8 mensis Novembris a.D. 2017.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

TAURINENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Mariae ab Angelis (in saeculo: Iosephae Operti) Fundatricis Congregationis Sororum Carmelitarum a S. Teresia Taurini Monialis professae Ordinis Carmelitarum Discalceatarum (1871-1949)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Propter hoc ecce ego lactabo eam et ducam eam in solitudinem et loquar ad cor eius» (*Os* 2, 16).

Servae Dei Mariae ab Angelis (in saeculo: Iosephae Operti) vehemens spiritualitas omnino posita in suipsius colloquio cum Domino, ad instar exemplaris ab Osee praeannuntiati, liberalem in ministerium erga proximum irrupit.

Serva Dei Taurini die 16 mensis Novembris anno 1871, minor natu e Iacobo Operti, officiali Ministerii Publici Aerarii Italici Regni, et e baronissa Adelaidi Sinaglia, orta est et duos post dies sacro fonte lustrata. Christiano more in familia instituta, nono anno vitae suae primitus sacram ad mensam accessit.

Mox aerumnae eius in vita non defuerunt: enim anno 1885 eius frater undevicesimo anno aetatis tabe mortuus est et vix post tres menses etiam pater eius e vita excessit. Parva Iosepha et mater eius solae manserunt totamque suam fidem in Deum conferentes summo illo dolore obstiterunt. Se ergo omnino tradiderunt operibus caritatis et curae sacrorum suppellectilium suarum ecclesiarum parochialium Taurini et loci v. d. *Marene*, in quo parvo oppido praedia possidebant, praeterea utraque simul sacras peregrinationes ad nonnulla tam Italica quam extera sanctuaria exegit. Ex iis peregrinationibus cum apud sacellum Beatae Mariae Virginis Oropensis erant, Iosepha quinto decimo aetatis suae anno Carmelitarum spiritualitatem primitus cognovit, quae animam eius valde permeatura esset. Hac re die 17 mensis Iunii anno 1886 una cum matre tertium Ordinem Carmelitarum ingressa est.

Vicesimo anno aetatis Serva Dei cognovit se vocari ad vitam religiosam, matrem tamen relinquere se non posse sciebat. Aestate anni 1893, cum eius ultima amita mortua sit, heres facta est familiae multorum bonorum, ex hoc ei multae uxoriae condiciones perrectae sunt.

Eodem anno incitamentum recepit, instanter positum a variis sacerdotibus, ad institutionem pro puellis pauperibus condendam. Hac re, sequenti

anno, Operti familiae in palatio, in pago *Marene*, Institutum Sancti Ioseph inauguratum est. Ex incitamento Taurinensis Archiepiscopi communitatem Sororum Carmelitarum a Sancta Teresia Taurini fundavit, ut vita contemplativa cum vita activa, maxime in puellis pauperibus et parentibus orbatis instituendis, coniungeretur. Iosepha Carmelitarum vestem induit, nomen sororis Mariae ab Angelis sumens, et priorissa nominata est.

Postea Institutum duobus in ramis disiunctum est, scilicet vitae claustralis et vitae activae. Soror Maria ab Angelis una cum sororibus, quae eandem vitae disciplinam claustralem elegerant, pie se recessit. Ex hac laceratione nonnullae fuerunt difficultates, quae Servae Dei dolores attulerunt.

Secundo bello mundano flagrante etiam bomborum ob percussionem, in angustiis fuit monasterium. Ipsa fundatrix tribus cum sororibus apud castellum Salsae in loco *Marene* debuit confugere.

Humanae et christianae virtutes Servae Dei necnon religiosae consecrationis merita eius in vita clare enituerunt. Religiosa institutio in familia impertita eius spirituali in experientia eximium pondus habuit. Mulier fuit firmissima in fide, veram communionem cum Domino coluit et ad instar Iesu Crucifixi totum amorem suum in occurrentes sibi profudit. Vehementi fidei intuitu sui ambitus necessitates bene intellexit, quae novo saeculo ingrediente multas culturales et sociales mutationes pariebant. Istis in adiunctis non sine difficultatibus pervenit ad maturitatem, quae in ferventi sui oblatione per orationem una cum magna humanitate et magnanimitate in ministerio ad effectum venit.

Virtutum exercitium, enisum ab absoluta sui commendatione in Deum, ei cotidiana fuit experientia, quae a suis consororibus et spiritualibus filiabus clare percipiebatur. Eius firmissima industria super spe fundabatur atque congruenter cum desiderio contemplationis et adorationis componebatur. In veneratione erga Iesum Christum vixit secundum Regulam Carmeli, magnam alens pietatem erga Christi humanitatem in Eucharistia, quae una cum Virgine Maria, verae erant divitiae eius vocationis. Omnino sui oblita, Mater Maria, altissima serenitate animata videbatur eique audiendi et disputandi de proximorum necessitatibus promptitudo non defuit, omnia denique summa simplicitate ad maiorem Dei gloriam et fratrum salutem convertebat.

Quibusdam quaestionibus administrativis ac iuridicis ob acceptionem ditissimae hereditatis ipsa implicabatur, omnibus tamen in casibus Serva Dei prudentia et contemptione rebus in mundanis se gessit atque constanti

itinere perfectionis ad plenam adhaesionem divinae voluntatis, mystica sui derelictione, pervenit.

Post bellum valetudo sua in peius magis magisque versabatur. Die 7 mensis Octobris anno 1949, post quadraginta annos claustralis vitae, Soror Maria ab Angelis diem supremum attigit.

Perdurante fama sanctitatis, a die 21 mensis Ianuarii anno 1991 ad diem 6 mensis Octobris anno 1995 apud Curiam ecclesiasticam Taurinensem Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 8 mensis Novembris anno 1996 est approbata. Exarata *Positione,* die 21 mensis Maii anno 2013 habitus est Historicorum Consultorum Congressus. Deinde, secundum normas canonicas, disceptatum est an Serva Dei heroicum in gradum virtutes exercuisset. Positivo cum exitu, die 1 mensis Decembris anno 2016 Peculiaris Consultorum Theologorum Congressus actus est. Patres Cardinales et Episcopi in Ordinaria Sessione die 16 mensis Maii anno 2017 congregati, me Angelo Cardinale Amato praesidente, Servam Dei heroico in gradu virtutes theologales, cardinales et adnexas exercuisse agnoverunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Mariae ab Angelis* (*in saeculo: Iosephae Operti*), *Fundatricis Congregationis Sororum Carmelitarum a S. Teresia Taurini, Monialis Professae Ordinis Carmelitarum Discalceatarum, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 16 mensis Iunii a.D. 2017.

ANGELUS CARD. AMATO, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

NEAPOLITANA

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Mariae Laurentiae Longo Fundatricis Nosocomii Incurabilium Neapolis et Monialium Capuccinarum (1463-1539)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera et glorificent Patrem vestrum, qui in caelis est» (*Mt* 5, 16).

Operae a Serva Dei Maria Laurentia Longo fundatae hodie adhuc post quingentos annos Dominum glorificant atque Altissimi erga suos filios signum sunt bonitatis. Mulier fide omnino imbuta, Maria Laurentia humanam ac spiritualem peregrinationem adivit in constanti promptitudine erga Dei proposita ad beneficium sui temporis afflictae humanitatis, numquam tamen avertendo cor suum a divinorum mysteriorum contemplatione.

Serva Dei Illerdae in Hispania ad annum 1463 nata est. Nupsit Ioanni Llonc scilicet Longo, Valentino iurisperito, a quo tres genuit filios. Ad annum 1480 gravem casum passa est: enim quaedam serva eius, dum convivium saltatorium ipsa celebraret, venenum ei propinavit, ex quo manibus ac pedibus capta est. Anno autem 1506 post meditatum consilium orationi coniunctum, hortatu cuiusdam eremitae Neapolim comitata est coniugem suum, Regis Ferdinandi Catholici Cancellariae regentem, qui ante tempus, anno 1509, mortuus est.

Suo desiderio obsecundando Serva Dei in peregrinatione conducta est Lauretanum ad sanctuarium, quo cum eucharisticae celebrationi adesset, miro casu, statim sanata est. Cum autem Maria Laurentia rediit, statuit pauperibus ac aegrotis omnino se tradere iuxta sancti Nicolai ad molem quoddam receptaculum. Anno 1519 incitamento Hectoris Vernazza, Genuensis notarii ac Societatis Divini Amoris fundatoris, suo in animo consilium volvit instituendi Valetudinarium Incurabilium Neapolis, quod hodierno in loco anno 1522 aedificatum est. In ambitu valetudinarii ipsa secum traxit medicos et laicales consociationes ut mitigarent dolores aegrotorum syphilide laborantium, qui morbus maxime ex meretricali commercio habebatur, ibique recipiebantur ut famulae illae mulieres, quae ex nefariis vitam mutare statuissent. Ex iis quaedam religiosam quidem vitam amplecti voluerunt. Iis Serva Dei cum Maria de Ayerbe, uxore Bucani Ducis, monasterium paenitentium mulierum iuxta valetudinarium fundavit.

Tredecim post annos auxilii aegrotorum, Maria Laurentia una cum aliis amicis mulieribus sub moderamine sancti Caietani Thienaei, quamvis iter peregrinationis in Terram Sanctam agere voluisset, assensa est Domini postulationi ut Neapoli monasterium mulierum consecratarum fundaret. Sic, quamquam inter difficultates, orta est Monialium Capuccinarum communitas, sub regula Sanctae Clarae Assisiensis et constitutionibus sanctae Coletae Corbiensis. Serva Dei una cum duodecim sororibus religiosa vota emisit. Sequenti anno monialium numerus ad tres et triginta pervenit, quarum mulierum copia Protomonasterii adhuc servatur nostro in tempore.

Maria Laurentia altero semestri spatio anni 1539 mortalem vitam deseruit.

Diuturna sua in exsistentia omnes vitae condiciones percurrit: sponsa enim fuit, mater, laica consecrata et deinde contemplativae vitae monialis. Neapoli saeculi sexti decimi Serva Dei suas facultates, magna caritate, forti fide, inconcussa spe suffultas adhibuit. Ultimis consuluit, scilicet syphilide correptis, meretricibus, pauperibus iuvenibus. Magnis rebus sui temporis adfuit, illius aetatis signa interpretari valuit, prophetico spiritu omnia eventa, etiam acerba, legit secundum magnum munus, quod sensim Spiritus Domini ei apponebat, quamquam saepe obstarent aegrotationes, aerumnae et adversitates. Valde aestimata est a pontificibus et episcopis, sicut a sancto Carolo Borromeo, per eam reformatio monialium Capuccinarum totam per Italiam, Hispaniam, Galliam et usque ad novum Mundum, per instituta in America media et meridiana dilatata est.

Quamvis iam in vita fama eius sanctitatis semper diffusa esset, Processus Neapolitana in Archidioecesi tantum in fine saeculi undevicesimi inchoatus est. A die 9 mensis Novembris anno 1880 ad diem 29 mensis Aprilis anno 1883 Processus Ordinarius Informativus celebratus est et a die 3 mensis Augusti anno 1885 ad diem 25 mensis Novembris anno 1887 Processus Ordinarius Additionalis accessit, uterque Processus Romae die 19 mensis Decembris anno 1888 apud Sacram Congregationem de Ritibus apertus est. Processus Apostolicus *super virtutibus* die 2 mensis Decembris anno 1893 incepit et die 13 mensis Decembris anno 1903 explicit. Quorum omnium actorum, tam Ordinariorum quam Apostolicorum, ad id tempus iuridica validitas die 27 mensis Novembris anno 1907 est approbata. A die 29 mensis Iunii anno 2004 ad diem 16 mensis Maii anno 2005 Inquisitio dioecesana Suppletiva celebrata est, cuius iuridica validitas per Decretum diei 1 men-

sis Februarii anno 2008 ab hac Congregatione de Causis Sanctorum est approbata. Exarata *Positione*, die 9 mensis Iunii anno 2015 Historicorum Consultorum Congressus habitus est. Deinde disceptatum est an Serva Dei heroum in modum virtutes excoluisset. Die 14 mensis Martii anno 2017 positivo cum exitu Theologorum Consultorum Congressus habitus est. Patres Cardinales et Episcopi, Ordinaria in Sessione diei 6 mensis Septembris anno 2017 congregati, cui egomet Angelus Cardinalis Amato praefui, Servam Dei theologales, cardinales eisque adnexas virtutes exercuisse professi sunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Mariae Laurentiae Longo, Fundatricis Nosocomii Incurabilium Neapolis et Monialium Capuccinarum, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 9 mensis Octobris a.D. 2017.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Sanctissimus Dominus Franciscus Pp., per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros praefecit Praesules:

die 2 Februarii 2019. — Episcopum Coadiutorem Odesensem-Simpheropolitanum, Exc.mum D. Stanislaum Szyrokoradiuk, O.F.M., hactenus Episcopum Kharkiviensem - Zaporizhiensem.

— Titulari Episcopali Ecclesiae Motulensi R.D. Ioannem Franciscum Gallone, Nuntium Apostolicum, cum archiepiscopali dignitate.

— Titulari Episcopali Ecclesiae Cissensi, R.D. Antonium Jozić, Nuntium Apostolicum, cum archiepiscopali dignitate.

die 4 Februarii. — Cathedrali Ecclesiae Hagulstadensi et Novocastrensi, Exc.mum D. Robertum Byrne, hactenus Episcopum titularem Cuncacestrensem et Auxiliarem Birminghamensem.

die 12 Februarii. — Titulari Episcopali Ecclesiae Basticensi, R.D. Iosephum Segura Etxezarraga, in Flaviobrigense dioecesi Vicarium Generalem, quem constituit Auxiliarem eiusdem dioecesis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Cufrutensi, R.D. Arcadium Okroj, e clero dioecesis Pelplinensis, hactenus paroeciae Sancti Michaeli Archangeli in oppido vulgo Kiełpino curionem, quem deputavit Auxiliarem eiusdem dioecesis.

die 14 Februarii. — Titulari episcopali Ecclesiae Casanigrensi, R.D. Adalbertum Skibicki, e clero dioecesis Elbingensis, hactenus ibique Moderatori Officii de Institutione Catholica, quem deputavit Auxiliarem eiusdem dioecesis.

die 15 Februarii. — Titulari episcopali Ecclesiae Himerensi, R.D. Marcum Salvi, e clero dioecesis Arretinae-Cortonensis-Biturgensis seu Burgi Sancti

Sepulchri, hactenus memoratae dioecesis Paroeciae Sancti Bartholomaei Apostoli Parocho, “in Anghiari”, quem deputavit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

die 16 Februarii 2019. — Cathedrali Ecclesiae Portus Abditi, Exc.mum R.D. Florentium Armandum Colín Cruz, hactenus Episcopum titularem Thimidorum Regiorum et Auxiliarem Mexicanae archidioecesis.

— Titulari Episcopali Ecclesiae Lacubazensi, R.D. Salvatorem González Morales, in archidioecesi Mexicana parochum, quem constituit Auxiliarem in eadem archidioecesi.

— Titulari Episcopali Ecclesiae Cillitanae, R.D. Henricum Samaniego López, in archidioecesi Tlalnepantlana parochum, quem constituit Auxiliarem Mexicanae archidioecesis.

die 19 Februarii. — Suburbicariae Ecclesiae Praenestinae, unitae in persona Episcopi Ecclesiae Tiburtinae, Exc.mum P.D. Maurum Parmeggiani, Episcopum Tiburtinum.

die 20 Februarii. — Cathedrali Ecclesiae Vianensi, R.D. Evaldum Carvalho dos Santos, Congregationis Missionis sodalem.

— Titulari Episcopali Ecclesiae Vallispostanae, R.D. Sebastianum Chico Martínez, e clero dioecesis Carthaginensis in Hispania, ibique hactenus Seminariorum Minoris et Maioris Rectorem, quem constituit Auxiliarem eiusdem dioecesis.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre ha compiuto un Viaggio Apostolico negli Emirati Arabi Uniti nei giorni 3-5 febbraio, e una visita alla Sede della FAO in Roma, per l'Incontro con i Partecipanti alla cerimonia di apertura della 42ma Sessione del Consiglio dei Governatori del Fondo Internazionale per lo Sviluppo Agricolo (IFAD), nel giorno 14 febbraio.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Breve Apostolico il Santo Padre Francesco ha nominato:

2 febbraio 2019 Il Rev.do Mons. Gianfranco Gallone, Consigliere di Nunziatura, elevandolo in pari tempo alla sede titolare di Mottola, con dignità di Arcivescovo, *Nunzio Apostolico in Zambia*.

» » » Il Rev.do Mons. Ante Jozić, Consigliere di Nunziatura, elevandolo in pari tempo alla sede titolare di Cissa, con dignità di Arcivescovo, *Nunzio Apostolico in Costa d'Avorio*.

4 » » S.E.R. Mons. Luigi Bianco, Arcivescovo tit. di Falerone, finora Nunzio Apostolico in Etiopia, Gibuti e Delegato Apostolico in Somalia, *Nunzio Apostolico in Uganda*.

16 » » S.E.R. Mons. Hubertus Matheus Maria van Megen, Arcivescovo tit. di Novaliciana, finora Nunzio Apostolico in Sudan e in Eritrea, *Nunzio Apostolico in Kenya*.

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Francesco ha nominato o confermato:

8 gennaio 2019 *Membri Ordinari della Pontificia Insigne Accademia di Belle Arti e Lettere dei Virtuosi al Pantheon*, gli Ill.mi Sig.ri: Arch. Santiago Calatrava per la Classe degli Architetti; Dott. Marco Tirelli per la Classe dei Pittori e Cineasti; Dott. Giuseppe Penone e Dott.ssa Elisabetta Benassi per la Classe degli Scultori; Rev.do P. Antonio Spadaro, S.I., Prof. Alessandro D'Avenia e Prof. Andrea Moro per la Classe dei Letterati e Poeti.

15 » » L'Em.mo Sig. Card. Luis Francisco Ladaria Ferrer, Prefetto della Congregazione per la Dottrina della Fede, *Membro del Pontificio Consiglio per la Promozione dell'Unità dei Cristiani* «*ad quinquennium*».

» » » Sua Beatitudine Em.mo Sig. Card. Louis Raphaël I Sako, Patriarca di Babilonia dei Caldei, *Membro del Pontificio Consiglio per il Dialogo Interreligioso* «*ad quinquennium*».

21 » » L'Em.mo Sig. Card. Angelo De Donatis, Vicario Generale di Sua Santità per la diocesi di Roma, *Presidente della Commissione Episcopale per l'Almo Collegio Capranica* «*ad quinquennium*».

22 » » L'Ill.mo Sig. Prof. Avv. Carlo Bonzano, finora Giudice Aggiunto presso il suddetto Tribunale, *Giudice del Tribunale*

dello Stato della Città del Vaticano; l'Ill.mo Sig. Prof. Avv. Roberto Zannotti, finora Promotore di Giustizia Aggiunto presso lo stesso Tribunale dello Stato della Città del Vaticano, *Promotore di Giustizia Sostituto del medesimo Tribunale*; l'Ill.mo Sig. Gen. Saverio Capolupo, già Comandante Generale della Guardia di Finanza della Repubblica Italiana, *Consulente delle strutture previste dall'Ordinamento Giudiziario nello Stato della Città del Vaticano in materia economica, tributaria e fiscale*.

14 febbraio 2019 L'Emm.o Sig. Card. Kevin Joseph Farrell, Prefetto del Dicastero per i Laici, la Famiglia e la Vita, *Camerlengo di Santa Romana Chiesa*.

19 » » L'Ill.ma Prof.ssa Jane Lubchenco, Docente di Biologia Marina presso il *Department of Integrative Biology della Oregon State University* (U.S.A.), *Membro Ordinario della Pontificia Accademia delle Scienze*.

NECROLOGIO

2	febbraio	2019	Mons. Walter James Edyvean, Vescovo tit. di Elie, già Ausiliare di Boston (*Stati Uniti d'America*).
10	»	»	Mons. Dinualdo D. Gutierrez, Vescovo em. di Marbel (*Filippine*).
»	»	»	Mons. Nicolas M. Mondejar, Vescovo em. di San Carlos (*Filippine*).
15	»	»	Mons. Thomas Joseph Costello, Vescovo tit. di Perdices, già Ausiliare di Syracuse (*Stati Uniti d'America*).
16	»	»	Mons. Silvestre Luís Scandian, S.V.D., Arcivescovo em. di Vitória (*Brasile*).
17	»	»	Mons. Antons Justs, Vescovo em. di Jelgava (*Lettonia*).
21	»	»	Mons. Alojzy Orszulik, S.A.C., Vescovo em. di Łowicz (*Polonia*).
28	»	»	Mons. Elliot Griffin Thomas, Vescovo em. di Saint Thomas (*Stati Uniti d'America*).